



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Feriis hebdomadæ tertiæ Adventus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

creaturæ. Estné creatura ulla, quæ non fit vox Verbi, per Verbum facta, ad Verbum ut finem? Estné ulla, quæ non possit sano sensu appellari Joannes, id est Gratia Dei? Tum quia gratiâ Dei est, id quod est: tum quia in hominis gratiam producta, qui ideò ultimo loco productus est, ut in mundum induceretur, velut convivæ aut spectatores ad convivium & ludum antè præparatum, ut advertit Philo libro de mundi opificio. Estné creatura, quæ nobis non inclamet verba Bernardi, *Accipe* seu utere, *Redde* gratias Deo, *cave* abutaris: tria puncta, & unum exemplum? Estné ulla, quæ nobis facturâ suâ, & exemplo, non commendet illa, quò Sermones Joannis omnes spectabant, à Deo regi omnia, & nos ab eodem regi debere? Audivimus quidem eas voces, cùm primùm tractatûs hujus fundamentum jaceremus: vociferati sunt nobis simul tres mundi: Sed nunc exactiùs & distinctiùs iisdem auscultemus. Pertexantur cætera sectionis I. in parte I. à numero 10. ad finem usque.

FERIIS HEBDOMADÆ III.

QUOD supererit Officium Bonæ Voluntatis, absolvatur: Dein transeat ad Adjumenta, quo ordine ac modo exposita sunt. Thema pro primo erit, *Gloria in excelsis Deo*: itidem pro secundo, quia ex comparatione Providentiæ humanæ, magis elucet gloria Divinæ.
Pro

Pro tertio thema erit, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: à contrario enim in terra infælicitas, & inquietudo, hominibus malæ voluntatis. Si videatur diei alicui de futurum suum argumentum: ex primo Adjumento, ubi materia valde luculenta est, commodissimè fient conciones duæ.

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Parate viam Domini.* Luc. 3.

Post enarrationem Evangelii, & Salutationem Angelicam.

Verba quibus Joannes usus, & quæ singulis Aduentûs diebus, jam autem præcipuè, Ecclesia usurpat, nihil aliud significant, si in litera hæremus, quàm disponite vos ad excipiendum Salvatorem, seu, ut loquitur Gregorius lib 19. Mor. cap. 3. *In corde vestro venienti sapientia aditum reperate.* Nihilominus Interpretes varii varia congestère: nemo nitidius quàm Ambrosius serm. 65. *Videamus ipse Ioannes, qui parare viam Domino jubet, quam ipse paraverit Salvatori. Per omnia planè adveniente Christo tramitem vita sua composuit, & direxit.* Via ergo est vita nostra. Cui Ambrosii explicationi filius ejus spiritalis videtur consonare, lib. de Eccl. Cath. moribus cap. 7. *Vera religionis fide præceptisque servatis, non deseramus viam, quam nobis Deus, & Patriarcharum segregacione, & Legis vinculo, & Prophetarum præfagio, & suscepti hominis Sacramento, & Apostolorum testi-*